

tas distribuit, ut jugiter aliqui in templo Deo infervirent. Cum autem in Scotiam rediret, Asaphum virum integerrimum huic cœnobio præfecit, à quo hodiernum nomen impositum. Episcopus hujus sedis parœcias sibi plus minus CXXVIII subjectas habet, quarum beneficia, ut vocant, Ecclesiastica, sede vacante, Archiepiscopus Cantuariensis libere ad Henrici usque Octavi tempora, Archiepiscopali jure, quod nunc regale censetur, conferre solebat. Hoc enim in historia Cantuariensi legitur.

Ruthlan.

Superius *Ruthlan*, à subrufa *Cluida* ripa, cui adjacet, appellationem sortita, castello nitet egregio sed fere vetustate confecto. Leolinus Sifilii filius Walliæ Princeps primo condidit, Robertus autem, quem de *Ruthlan* vocant, Hugonis Cestrensis nepos primus à Wallis extorsit, præfectusque erat Hugonis, qui illud novis operibus munivit, postea, ut Abbas de *Monte* scripsit, Henricus Secundus hoc castrum restauratum Hugoni de *Bello-campo* dedit. Sub quo statim *Cluida* mari immiscetur, & licet vallis ad ipsum ostium inferiore libra quam mare depressa videatur, nunquam tamen superlabitur, sed obstaculo naturali, non sine summa divini consilii admiratione, in ipsis marginibus hæret aqua. Hinc littus in Ortum paulatim descendendo procedit primum per *Difart* castrum, sic dictum, quod fuerit situ acclive, vel, ut alii volunt, quasi *Desert*, inde per *Bafingwerk*, quod etiam Henricus Secundus Hugoni de *Bello-campo* concessit. Sub hoc *Halywel*,

Haly-wel.

id est, *Fons sacer*, oppidulum vidimus, ubi fons Winefredæ virginis Christianæ memoria, quæ stuprum per vim oblatum ibi morte luit, à tyranno occisa, & musco gratissimi odoris longe est celeberrimus, ex quo emanat fluviolus sive potius proruit inter saxa quibus nescio quid sanguineum innascitur, tantoque impetu fertur ut statim par sit molæ agendæ. Ipsi autem fonti impositum est pereleganti opere è saxo vivo sacellum, cui adjuncta est Ecclesiola, in cujus fenestra Winefredæ illius historia & cædes describitur. Prope hunc locum Giraldi ætate, ut ipse scribit, *divis vena, fructuosumque argenti scrutinium, ubi pecuniam scrutando itum est in viscera terra.*

Hanc regionis partem, quod formoso situ inuentibus aridet, & in Anglorum potestatem jam olim cesserat, Britanni *Teg-Angle*, id est, *Formosa Anglia*, dixerunt. Quod vero *Tegeniam* quidam appellavit, Igenosque ibi consedisse existimavit, tua sit cautio ne facile credas. Corruptum Icenorum nomen optimo viro imposuit. Inde in littore *Flint* castrum conspicitur ab Henrico Secundo inceptum, & ab Edwardo Primo perfectum, quod huic agro nomen fecit. Poste ad Orientalem agri limitem proxime Cestrenses

Harden.

*Haxwarden* castrum, vulgo *Harden*, haud multum à littore sedet, è quo cum Rogerum *Clifford* Walliæ Iustitiarium David Leolini frater captivum abduxisset, funestissimum bellum sibi & suis excitavit, quo Wallorum imperium funditus eversum. Castrum autem hoc quod tenebatur per *Seneschalliam* Comitum Castriæ, sedes erat Baronum de *Monte-alto*, vulgo *Mount-hault*, qui in honoratissimam familiam succreverunt, parma cyanea, in quo argenteus Leo erectus, insignes; di-

Barones de Monte-alto.

gnitatemque auxerunt nuptiis Cecilix unius coheredum Hugonis de *Albeny* Comitum Arundellix. Verum deficientibus tandem liberis masculis, Robertus ex hac stirpe ultimus Baro Isabelam Angliæ Reginam, Edwardi Secundi uxorem hæredem, ut jam ante dixi, scripsit. Castri vero possessio postea ad *Stanleios*, qui nunc Derbiæ sunt Comites, translata fuit.

Australem sub his regionis partem pererrat *Alen* fluviolus, prope quem in monte ad *Kilken* viculum, fons est qui maris æmulus statis temporibus, suas & revomit, & resorbet aquas. *Hope* Castrum Britanniæ *Caer-gulre*, in quod Edwardus Primus se recepit, cum suos incompositos Walli subito adorti essent, ubi lapides molares è rupe exciduntur, & *Mold*, Britanniæ *Guidruc*, castrum olim Baronum de *Mont-hault*, sive *Monte-alto*, huic *Aleno* superimponuntur, quæ antiquitatis indicia præ se ferunt plurima. Iuxta *Hope*, cum hæc scriberemus, hortulanus dum altius terram moliretur, in opus pervetustum incidit, de quo plurimæ plurimorum enatæ opiniones, sed qui M. Vitruvium Pollionem diligentius legerit, perspicit nihil aliud fuisse quam Hypocaustum, vel Hypocaustum, à Romanis inceptum, qui crescente cum divitiis luxuria, balneis plurimum sunt usi. Longum erat ulnas v, latum IIII, altum plus minus dimidium ulnæ. Includebatur parietibus ex vivo saxo, pavimento ex testa cum calce trullifata, columellis lateritiis innitebatur concameratio, quæ ex tegulis erat tectorio opere politis & hinc inde perforatis, quibus fictiles impositi erant, quasi tubuli, per quos calor vis deferebatur, & ut inquit ille, *volvebant hypocausta vaporem*. Et quis non ex his fuisse existimet quæ Iscæ præcipue suscipiebat Giraldus? cum hæc scriberet de Romanorum operibus, *Quod inter alia notabile censeas, stuphas undique videas miro artificio confectas, lateralibus quibusdam, & angustis spiraculis occulte calorem exhalantibus*. Quorum vero hoc opus fuerit, LEGIO XX tegulis impressa loquitur, quam vix sex hinc milliarium diverticulo Cestriæ egisse jam antea docuimus.

Iuxta hunc *Alenum* fl. in angustiis sylvestribus *Coles-hul* est, *Carbonarium collem* vocat Giraldus, ubi cum Henricus II bellum, si unquam alias, magna cum cura in Wallos apparavisset, Angli incondita multitudine laxius tendentes ceciderunt, & ipsum regium vexillum ab Henrico de *Essex* hæreditario Regum Angliæ signifero desertum fuit. Quo nomine ille postea læsæ majestatis delatus, & à delatore singulari certamine devictus, bonis in fiscum relatis, ignaviam suam pertæsus cuculum inter monachos induit.

Alia est hujus regionis portiuncula cis *Devam* fl. ab hac quasi avulsa, quam Angli *English Mailor* vocant. De hac, cum de Bonio loqueremur, in Cestrensi Comitatu egimus, nec est quod jam dictum denuo dicamus. Nec quicquam in hac occurrit quod memoretur nisi *Han-mere*, ad lacum, unde vetusta sane & clara, quæ ibi habitat familia, cognomen assumpsit.

Cestrenses Comites levia prælia ex occasione, & opportunitate cum Wallis conferentes, hunc agrum primi Normannorum sibi subjecerunt, unde in antiquis membranis legitur, *Comitatus Flint*

Hope Castle. Lapidem molares.

Mold.

Balnea si-ve Therma.

Vide pag. 346.

Coles-hull.

English mailor. Bonium. Vide pro Banchor.

Han-mere.

Vide Comites Cestriæ.